





24

DISSERTATIO
DE
CHRISTO A IVDAEIS
CONSPICIENDO

QUANDO DIXERINT
CELEBRETUR VENIENS IN NOMINE DOMINI
AD MATTH. XXIII. COM. XXXIX.

QVAM
PRAESIDE
SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. THEOL. PROFESS. PVBL. ORD. ET FACVLT. SVAE
H. T. DECANO

FAVTORE ATQVE PRAECEPTORE SVO
VENERANDO

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. IV. FEBR. MDCCXXXVI

H. L. Q. C.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRVS

IOANNES CHRISTIANVS GRVNDLER

HALA MAGDEB.

S. LITTERARVM CVLTOR.

EDITIO NOVISSIMA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI
MDCCLIV.

(5)

DISSERTATIO

CHRISTO A IUDAEIS
CONSPICIENDO

AVANTO DIERINT

CELEBRATUR VENIENS IN NOMINE DOMINI

AD MATTHI XXIII. COMPARATA

LEONARDUS

SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

THEOL. PROFESS. PUBL. O. D. L. FACULT. SVAB.

DE REGO

FAVORE A. T. U. P. R. A. G. E. T. T. O. R. S. V. O.

V. E. R. A. N. D. O.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. IV. FEBR. MDCCXXIII

ERUDITORVM EX AMPLISSIMO FACULTATE

FACTVS RESPONSIVVS

IOANNES CHRISTIANVS GRUNDLER

DATA MAGDEB.

V. LITTEARVM CULTOR.

EDITIO NOVISSIMA

HABES MAGDEBURGICAE

TYPI JOANNIS FRIDERICI GRUNERTII

M. D. C. C. L. V.

②



REVERENDISSIMIS
SERENISSIMO
PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS

D E C A N O
S E N I O R I

RELIQVIS CAPITVLO

QVOD MAGDEBVRGI FLORET
CATHEDRALI

ADLECTIS

D O M I N I S

CELSISSIMO GRATIOSISSIMIS
REI LITTERARIAE

MAECENATIBVS AC PATRONIS

HAEC OFFERT

IOANNES CHRISTIANVS GRVNDLER.

REVERENDISSIMIS

CEREBRISIMO

PERILLISETIBVS GENIROSISIMIS

DE CANO

SENIORI

RELIQVVS CANTVLO

QVOD MAGDVRSI TIORET

CATHEDRALI

APPELLIS

DOMINIS

CEREBRISIMO GRATIOSISSIMIS

REI CATHEDRALI

MAGNIFICENTIS AC PATRONIS

MADE GREN

IOANNES CHRISTIANVS GRADLER



REVERENDISSIMI SERENISSIME
AC
PERILLVSTRES GENEROSISSIMI
DOMINI GRATIOSISSIMI



Vum primos hosce stu-
diorum litterariorum
fructus leues fatis &
nondum maturescen-
tes aris VESTRIS vouere & sacros
VOBIS dicare ausus sim, vix spero, me
temeritatis suspicionem amoliri posse,

A 3


nifi

nisi aliquid saltem excufationis loco ad-
ferrem. In rerum fastigio a summo re-
rum humanarum moderatore estis col-
locati, vt aliorum prouideatis faluti, &
ecclesiæ Dei in altiozem locum promo-
ueatis emolumenta. Quod quanta per-
ficiatis industria, instituta, studia & fin-
gula, quæ non raro curantur a VOBIS,
abunde loquuntur. Quid mirum, quod
ex eorum, qui Musis se atque sua addi-
xerunt, numero ad VOS tanquam ad
ancoram sacram multa confugiat cater-
va, & præsidium, quod, quantum pru-
den-

dentiaē & legibus sanctis non repugnat,
non denegatis, sibi expetant? Quid
dicam de me, cui in patrocinio V E-
STRO aliquid fiduciaē collocandum
esse non ita pridem significastis? Tan-
tum spei mihi clementia VESTRA in-
digno quidem, tamen indigo, adhuc
supereffe, in sinu gaudeo. Nihil reli-
quum est, nisi vt, quæ exorsi estis, ad-
augeatis, & obsequii hoc monumentum
pro munificentia VESTRA & fronte
beneuola suscipiatis. Hinc, vt me mea-
que omnia VOBIS habeatis commen-
data,

data, animo supplici atque demisso de-
precor. Quod officium iubet, addo,
vt Deum rogem successiones & amplifi-
cationes felicitatis VESTRAE, immo
perpetuitates. Halæ III. Calend. Fe-
bruarii c̄l̄o c̄cccxxvi.

PRAE-



PRAEFATIO.



Vam exhibemus TIBI, Lector Beneuole, dissertationem, occupari deprehendes in exponendo sacri codicis oraculo, de quo Interpretum variorum varias videre adhuc contigit explanationes. Quas si curatius paullo atque ad viuum refecaueris, haud obscurum TIBI erit, nonnullas eiusmodi luci exposuisse sententias, vt vel desperata causa aut prolepsin dicti admittere, aut pro notula illud margini adiecta habere, vel saltem ea, quæ cuius non satisfaciunt, docere videantur. Recte autem agunt, quicumque de sensu eius genuino fuerunt solliciti, mentemque & cogitationes ad illud aduerterunt. Verborum enim, quæ traduntur, si altius indagamus & dignitatem &

B

Vti-

utilitatem, vtraque sane non est mediocris. Continet sermonem a seruatore optimo, cum extremo actu doctoris publici officia obiret, habitum, quo in solemnibus Iudæorum concione rerum suarum coronidis loco euentum diuinavit, ac teste tractatione infra instituenda vltimum iis omnibus veluti dixit vale. Atque his ipsis admoniti, cum de specimine academico elaborando cogitaremus, eius dilucidationi studere in animum induximus. Quo in negotio ita tenemur, vt in §§. XXXVII. prioribus definitiones atque theses, quarum vsus in sequentibus erit non contemnendus, euolutas dedimus, a §. XXXVIII. ad XLVII. nexum dicti cum omni historia sacra generalem sistamus: §. XLVIII. ad LV. (quod in officio interpretatorio multum affert & vsus & delectationis) aliorum recensemus commentationes, §. LV. nostra *in genere* exhibeatur sententia, quæ *in specie* illustratur & probatur in §. LVI. ad LXXXVIII. ex quibus corollariorum loco vltimi paragraphi quædam deducunt. Quid igitur hac in opella nostra qualicumque præstitum fuerit, rogamus L. B. æquo animo diiudices. Summum ad sit conatibus Numen & cedere iubeat, quæcunque exordimur, in nominis sui celebrationem.

B. C. D.



B. C. D.

§. 1.

Ordo est similitudo modi, quo rerum vel coexistentia vel successio determinatur (per princ. Metaph.)

Venia nobis danda erit, quod conceptus vti hanc sic reliquarum definitionum plurimas ingredientes antea, quam adhibiti sunt, non explicauerimus, sed multi vel tanquam clari vel ex aliis scientiis lemmatum iostar sumantur.

§. 2. *Harmoniam* vocamus modum, quo varia vnus constituunt rationem sufficientem.

Talem e. g. intercedere obseruamus inter hominis intellectum & voluntatem, quæ, dum in eodem negotio versantur, continent rationem eius sufficientem & *conuenire* dicuntur. Hinc

1) vocis *harmonie* synonymum est *conuenientia*, quod monemus ob §. 4. 2) differt *eadem* a perfectione tanquam genus a specie.

§. 3. *Ordinem harmonicum* dicimus ordinem plurium, quorum in variis est harmonia.

B 2

Ser-

Sermonem nobis hic esse de ordine in successivis, rei docet evidenter, quem ab eo, qui est in coexistentibus, distinguimus (§. 2.).

§. 4. *Scriptorum vite CHRISTI harmonia* est, ubi in enarrandis iisdem Christi factis hi scriptores conveniunt (§. 2.).

Harmoniam concedunt Theologi etiam in toto codice sacro, quatenus in rebus ad salutem, scitu necessariis tradendis ubique sibi convenit. Quam ulterius explicare ex doctorum cœtu studuerunt, quos citatos videmus in HOTTINGERI *Bibliotheca Theologico-Critica* p. 173. & ex parte in DORNII *eiusd. generis Bibliotheca part. II. p. 97. seq.* & hanc vocamus harmoniam scripturæ latius, illam a nobis in §. exhibitam strictius sumtam, qualis ex parte etiam obtinet in libris Regum atque Chronicorum.

§. 5. *Ordo harmonicus id genus scriptorum* erit, quo in enarratione factorum Christi ita conveniunt, ut idem in ea sit modus successivis.

Vnde (coll. §. 1.) apparet, determinatius paullo vocem *ordinis harmonici* a nobis sumi: respectu scilicet eiusdem temporis a scriptorum singulis observati, cum alii methodum, qua easdem res eadem ratione narrant, ita cognominare sufficiat.

§. 6. Per ordinem hunc varia eorum in scriptis obvia *determinari* experientia loco sumimus seu a posteriori cognoscimus.

§. 7. *Historia* est relatio rerum gestarum. In recensendis rebus gestis facillimam, hoc est eam, qua res se excipiunt, methodum quisque adhibet ex fine historiae (per princ. Log.). Si enim non adhiberet, ad arbitrium

trium res mutando narrationem conderet. Ergo non facta sed ficta recenseret. De singulis autem scriptorum vitæ Christi id eos voluisse supponimus, donec probetur contrarium; potuisse, quia idem relationis obiectum habuerant, non dubitamus. E. cum non vlla ratione appareat quidem contradictio, ordo harmonicus fuit *possibilis*.

§. 8. Quum scriptores sacri tempus, quo res euenerunt, allegent, facta per connectendi particulas satis commodas sibi iungant & nunquam vere sibi sint contrarii, hæc autem omnia ad possibilitatem ordinis accedant (§. 7.), complementum eius videmus, quod cum sit existentia, sequitur, vere id genus ordinis fuisse studiosos. E. ordo harmonicus *existit*.

§. 9. *Antiquitatem* vocamus mores temporum vetustiorum, quatenus historice exponuntur.

Vox antiquitatis diuersimode sumitur, h. l. per vsum & metonymiam adiuncti pro subiecto, vbi tempus *pro re in tempore* ipso ponitur, accipimus.

§. 10. *Antiquitas Iudaica* est, quæ mores exponit ad veterum Iudæorum tempora spectantes.

§. 11. Cum sæpe sæpius ad mores Iudæorum vetustiorum in codice S. respiciatur, hæc autem in antiquitate doceantur (§. 10.), dicta ista, quantum fieri potest, iuxta eam erunt interpretanda. E. antiquitas Iudaica subsidiis S. codicis erit accensenda.

§. 12. Dicta scripturæ, in quibus Harmonia deprehenditur, dicuntur *Parallela*.

Non ergo definitum nostrum strictiori sensu, qui in scholis Mathematicorum obtinet, sumitur, qui lineas dicunt parallelas, quæ in eo, ut eodem modo ubique a se distent invicem, conveniunt, sed latius convenientia quavis concipitur.

§. 13. Parallelorum disquisitio est *Parallelismus*.

§. 14. Parallelismus veritatur in dictorum vel terminis vel in conceptibus, quorum ille *verbalis*, hic *realis* ab Hermeneutis dicitur.

§. 15. Occurrunt in scriptura S. quæ pro cognoscendi nostro modulo videntur obscuriora. Quorum claritatem ex aliis eiusdem fontibus deducere cum sit utile imo requiratur (per princ. Hermen.) sequitur inde, *utrumque parallelismum* in explicando codice sacro *in subsidium esse vocandum*.

Hinc in collatione dictorum non facile ad Auctores profanos refugiendum esse fluit: quilibet enim verborum suorum optimus ipse habetur idque iure interpretis.

§. 16. *Termini* sunt signa conceptuum per voces edenda. E. pro differentia horum illa etiam differunt.

§. 17. *Significatus* est notio, quatenus termino vno representatur.

§. 18. *Significatus*, qui rem, cui immediate destinatus est, indicat, audit *proprius*, cui mediate, hoc est, aliis ideis interposito necessariis & ob similitudinem, *improprius*.

§. 19. Conceptus cum terminis connexis coniuncti, vocantur *sensus* verborum.

E. significatus in vno, sensus pluribus in terminis obtinet.

§. 20. Si termini significatum proprium habent, sensum

ſenſum habemus *proprium*, *improprium*, ſi termini ſignificatum improprium.

§. 21. Cum ſignificatus proprius præcipue termino ſit deſtinatus (§. 18.), magis erit uſui inſeruiens & ordinarius. Cuius oppoſitum cum ſit extraordinarius, & exceptio a regula, hæc autem, quantum fieri poteſt, cum ſtudio euitanda (per princ. Met.) ſequitur, exceptionem ſine neceſſitate fieri non debere. Quæ cum ſit ſignificatus improprie, eius oppoſitum ei anteferendum. E. *non recedendum erit a proprio terminorum ſignificatu ſine neceſſitate.*

Alii ſic enunciant: non facile a ſenſu litteræ recedendum eſt. conf. b. RAMBACHII *Inſtit. Herm. p. 58. coll. p. 279.*

§. 22. Neceſſitas cum ſit vel *abſoluta* vel *ſecundum quid*, (per princ. Ontol.) prior hoc in loco oritur, ſi proprium ſignificatum admittendo abſurda aut ſanctitati diuinæ contraria in codice S. admitteremus, *poſterior*, ſi improprie ſignificatus rei magis conuenit, quam proprius.

§. 23. *Relatio* eſt conceptus, quo duo aut plura per dependentiam connexa repræſentamus.

§. 24. *Contextus* eſt relatio uocum ad ſe inuicem, conueniens cum cogitationum relationibus.

§. 25. *Finis* ſeu ſcopus eſt id, ob quod agitur.

§. 26. Series terminorum conceptus connexos ſignificantium eſt *Oratio*.

§. 27. *Scopus orationis* eſt, ob quod oratio inſtituitur (§. 25. 26.).

§. 28. Scopum cum omne Ens habeat ſuum (p. Exper.

per. & princ. Metaph.) etiam orationi suus est. Inde sequitur, eiusdem auctorem eo retulisse, quæ consignavit, & voces, phrasas atque cum his coniunctos conceptus ei maxime commodos adhibuisse. Quarum evolutionem si Interpres dare sibi proposuit, ista omnia pro scopo orationis explicet. E. *scopus orationis ab Interprete est considerandus.*

§. 29. *Vaticinium* est sermo de possibilibus exituris.

§. 30. Ea quando ad existentiam perducuntur, dicimus habere *impletionem* (*euentum*).

§. 31. Cum impletio in vaticiniis requiratur (§. 30.), eorum explicatio, quantum fieri potest, huic debet accommodari.

§. 32. *Cultus diuinus* consistit in actionibus, quæ per affectiones Dei determinantur.

Supponit e. cognitionem attributorum Dei, pietatem erga eum, reuerentiam cet.

§. 33. Actiones hæ quatenus intra animum sunt, cultum *internum*, quatenus extra animum, *externum* constituunt.

§. 34. Si internus cultus terminis significatur, oriuntur *preces externe*.

§. 35. Precum externarum species sunt *hymni*, qui voce varie modulata pronunciantur.

§. 36. *Hymni celebratorii* sunt, qui aliorum perfectionum annunciandarum causa recitantur.

Si Dei perfectiones pro obiecto habent, vilitate gaudent respectu hominis singulari, (1) quia in his homines communi studio

studio Dei gloriam promouent sine confusione, (2) quia animus excitatur, (3) quia memoriae altius infiguntur.

§. 37. Postea quam nunc pro instituto, quantum licuit, terminorum thesimumque, dedimus definitiones & explicationes, ad ipsam dicti nostri nos conuertimus vltiorem explicationem, quod exhibet

MATTHAEVS CAP. XXIII, COM. XXXIX.

§. 38. Cum a scriptoribus historiae Christi observatus fuerit ordo harmonicus (§. 8.) & dictum nostrum narrationis eorum constituat particulam, sequitur, vt ordinem dicti hoc loco paullo curatius exigamus.

Eo magis de hoc solliciti sumus, quo plures ei vel neglecto vel non rite constituto natales debent suos *Ψευδεργων* *υεσι*. Cui si pro instituto sufficere volumus, tria ex ipsa narratione sacra deprompta proferre res ipsa iubet argumenta.

§. 39. Scriptores historiae Christi in eadem historia exponenda conueniunt (§. 7. 8.). Conueniunt ita, vt
1) singula eorum narrata in diuersas dispesci periodos,
2) quae ab hoc omiffa sunt, ex illius recensione compleri,
3) per particulas connectendi commodas combinari queant (p. canon. Harm.). Hinc sequitur, ostendendum esse, cui dictum nostrum penso sit inferendum. Inferimus autem *actis diei Martis, f. feria tertiae* hebdomadis (vti dies Pascha antecedentes vocantur) *magne*.

Historiae seruatoris O. M. periodum quintam constituunt extrema vitae inter mortales peractae, seu, quam a potiori vocant, historiae passionum eius. Has absoluit tempus sex dierum, quorum maxime solemnitas erat *dies Martis*. Continet enim facta atque dicta ante ingressum in templum, post ingressum

gressum & post egressum ex eodem. Instituit eodem sermone varios, quorum in numero est, quem Iudæorum in celebritate versatus de fugienda ecclesiæ diuinæ sentina, puto, Phariseis habuit, expositus cap. XXIII. toto Matthæi: Marc. XII, 38. 39. Luc. XX, 45. 47. Docet vite conditionem hominum maxime peruersorum, deinde execratione eandem prosequitur, & vaticinium de pœna suaque ipsius gloria manifestanda illi iuncta superaddit. Ad vaticinium referimus dictum nostrum. conf. CALOVIUS in *Harm. Euang.* RVSSIVS in *eiusdem Tom. III. ad b. l.* SAL. VAN TILLE in *Harm. Explicationi Mattheane* subiuncta.

§. 40. Accensendum itaque dictum nostrum erit actis neque ante neque post Martis diem collocandis. Vtrumque probatione egebit. Ad PRIUS facit: (1) Execratiō fici post Christi introitum in Hierosolymam solemnem demum est consecuta Matth. XXI, 8. Marc. XI, 2. (2) Colloquium Christi de fico cum auditoribus priuatis institutum post execrationem verbis clarissimis exponitur Marc. XI, 20. (3) Huic reliqui sermones subnectuntur, quos alii temporis feriei interponere non habere nobis videtur rationem determinantem. (4) Ad sermonem vicinum pertinent verba nostra (§. antec.). Quare (5) ex his omnibus prona consequentia fuit, dictum nostrum non nisi *Martis diei actis* esse accensendum. Sed ostendenda est POSTERIORIS firmitas: (i) paschatis celebrandi initium fiebat die decimo quarto mensis *Nisan* (a *vexillo*, quia tempore isto vexilla exercitui præferri incipiebant, teste GOODVINO in *Mos. & Aaron. Lib. III. c. 1.*) seu *Abib* (spicam, quia hoc tempore hordeum spicas

spicas producebat, denotantis) Exod. XIX, 14. Luc. XXIII, 5.
 (2) Eo tempore in diem Iouis incidebat. (3) Sermones
 antecedentes habebantur biduum ante Pascha Matth.
 XXVI, 2. (4) Hinc sequitur, die *Maris* sermones hos
 esse habitos, dictumque nostrum ad acta non posterioris
 diei esse referendum.

Miramur itaque, virum cateroquin eruditionis summæ DAN.
 HEINSIUM in *exerc. sacris Lugd. Bat. 1659. editis* traiectionem
 aliquam historicam admittendam esse statuere, ita, ut verba
 hæc iam antea esse pronunciata, a Matthæo vero minas contra
 Iudæos coacervante ista repeti, quæ alias saltem ante cap. XX.
 locum sibi vindicarent, existimet.

§. 41. Aliorum interpretum consensu de generali
 nexu confirmati tempus, quo verba hæc locum occu-
 pant, paullo curatius & specialius determinamus. Per-
 tinent ad sermonem Christi de fugiendo Phariseo (§. 39.).
 Cuius agmen claudunt verba nostra, quo finito ad disci-
 pulos se recipiens priuatum cum iis instituit colloquium,
 neque docendi causa in celebritate postea est versatus.

§. 42. Conuenit dictum nostrum cum Luc. XIII, 35.
E. hæc ambo sunt parallela (§. 12.). Quæ conueniunt, sunt
 eadem certo tantum respectu, quatenus affectiones quæ-
 dam sunt in vno, quæ in altero. Hinc in cæteris sunt
 diuersa, *E. dicta nostra, etsi conueniant, etiam diuersa erunt.*
 Differunt autem tempore & loco, quod vtrumque vltè-
 rius erit ostendendum.

Neque id sine ratione facimus, quia nostrum dictum cum illo
 in Luca deprehenso vnum atque idem esse ab Interpretum
 nonnullis existimatum est. Quam tamen hypothesin facile re-
 velli posse, sequentia declarabunt.

§. 43. Differunt 1) *loco*, de nostro illo Matthæi diximus (§. 39.) hinc, ut in locum, quo commorans Christus illud pronunciauit, disquiramus, superest. Erat Pæra Herodis imperio subiecta Luc. XIII, 31. a Iudæa probe discernenda. 2) *Tempore*, interuallum erat trium saltem mensium obitinerum & visitationum multitudinem fere indubium. 3) *Fine & scopo*, illis per Lucam consignatis prænunciare uoluit Christus, se *Hierosolymam* esse rediturum scilicet die palmarum, quæ triumphantis instar congratulationibus omnium exceptus & quauis celebratione ornatus uerbis impletionem conciliauit. 4) *Obiecto personali*, hoc loco sunt Pharisei, qui colloquium, postquam illuc, ut ab Herode perniciem minitante tutus esset, effugerat, cum eo susceperant, conf. AVGVSTIN. *Lib. II. de consensu Euang. c. VII.* Adparet ex his omnibus diuersitas, quam cum non admiserint CALOVIUS in *Bibl. illustr. ad Luc. XIII.* & WINCKELMANNVS in *Comment. ad b. I. utriusque impletionem eandem esse censuerunt*, & per consequens nostri dicti prolepsin constituere non omnino non potuerunt.

§. 44. *Interpretari* est sensum orationis exponere. Hinc interpret etiam terminos scorsim exponit (§. 26.).

§. 45. Ad sensum orationis pertinent conceptus: (§. 16.) ii, quos auctor orationis produci uolebat, sunt sensus auctoris, qui in interprete producuntur, *interpreta*.

Cur hæc in se distincta etiam per uoces distinxerimus, infra fiet manifestum.

§. 46.

§. 46. *Conceptus* sunt cogitationes ex repræsentatione vnius oriundæ. Omne vero ens, quicquid est, illud est, (p. princ. Itendit.) hinc non plures eiusdem individui *eodem respectu* dantur cogitationes in scriptore occulta, adeoque nec plures conceptus. Quæ cum absoluant sensum, *datur vnicus ORATIONIS sensus.*

§. 47. Interpretes conceptus euoluit (§. 46.). Cum vero de vno atque eodem diuersi homines diuersa repræsentare sibi possint, diuersas habent cogitationes diuersosque conceptus, *E. INTERPRETVM sensus esse potest varius.*

Ostendit hoc fusius B. RAMBACHIVS in *Instit. Herm. L. I. c. 3. §. 8.*

§. 48. *Experientiæ loco* sumimus, quod de dicto, cuius in dilucidatione versamur, interpretationes variæ eæque diuersæ existant.

Haud incommode agi existimamus, si, quæ maioris esse momenti videntur, allegabimus explicationes. Hinc cum iis veluti in synopsi exhibitis quantum nostra vel conueniat, vel quantum ab iis discrepet, fiet manifestum.

§. 49. Interpretum plerisque id quasi est commune, vt Christum *ABSENTIAM SVI VSQVE AD GLORIAE MANIFESTATIONEM* affirmare existiment. Id vero fieri autumant:

I. *Alii per iudicium, & quidem:*

1. *vel extremum atque vniuersale, vel*
2. *Hierosolyme cum penis immittendum.*

II. *Alii per emendationem,*

1. *vniuersalem, seu omnium Iudeorum, & hanc*

a *sive affirmari,*

b *sive negari.*

2. *specialiorem, seu indiuiduorum ex Iudei gente quorundam.*

III. *Per fruitionem beneficiorum Christi.*

§. 50. Christum visum iri sub gloria manifestanda, affirmant nonnulli per *iudicium extremum*. Est hac in sententia B. MATTH. FLACIUS in *Glossis ad N. T.* p. 102. B. GERHARDVS in *Harm. Euang.* p. 259. HVNNIVS in *Comment. ad b. l.* (qui, siue velint siue nolint, in Christi occursum tempore extremo se esse accincturos addit) ABR. CALOVIUS in *Bibl. ill.* ad Matth. qui (1) *to videre* pro perceptione quauis, (2) *to dicetis* ex hebraismo, vi cuius verba pro re ponunt v. g. Ies. I, 27. pro actione sumit. Habent hanc sententiam BIBLIA VINARIENSIA, GROTIUS a POLO in *Synops. Criticorum S. Vol. IV.* recensitus, ZELTNERVS in *Obséruat. ad bibl. & STOERKIUS in Notis ad N. T.*

§. 51. Deueniendum nunc erit ad eorum interpretationem, qui gloriam Christi manifestatum iri contendunt per *iudicium Hierosolymæ incolis* immittendum. Fauent huic sententiæ Ecclesiæ primæ doctores, EUTHYMIUS atque THEOPHYLACTVS, cum quibus DORSCHAEVS facit in *Comm. ad b. l.*

§. 52. Descendimus ad eos, qui dicti impletionem ex emendatione (conuersione dicunt) *Iudæorum vniuersali* expectanda explicant. Huc refertur ipse noster b. LUTHERVS, qui in *Postill. Eccl. super Eu. ser. II. nat. Christi* scribit: *So ist nun gewiß, daß die Iuden noch sagen werden*

zu Christo: *Gebenedeyet sey der da kommt* cet. & paullo inferius: *Gott gebe, daß die Zeit nahe sey.* Secutus eundem est L. B. de CANSTEIN in *Opere Harm. Ev. P. VI. c. 1.* Pertinet huc, cuius nomen pie veneror, IOACH. LANGIVS in *Comm. ad h. l.* Addimus cel. Batauorum Theologos IO. COCCEIVM in *Opp. Tom. IV.* & SAL. VAN TILL in *Expl. Matth. p. 814.* qui conuersionem paucos ante vltimum iudicium dies initium esse capturam addit.

§. 53. Eandem Iudæorum conuersionem negari contendunt, qui verba torquent & *eos ætæ* per *nuquam* transfundunt, dum vocem hanc futura aliquando profus excludere autumant. Non adprobationem adiecit eis PFAFFIVS in *Not. Exeg. ad Matth.*

§. 54. Ex b. CALIXTI interpretatione multa cum probabilitate concludere nobis videtur, eum conuersionem, INDIVIDVORVM ex gente Iudaica temporis successu oriundorum ex hoc dicto augurari.

§. 55. Accedit ea sententia, quam sine determinatione specialiori Ven. RVSSIVS proponit in *Harm. Euang. Tom. III. p. 207.* seruatorem manifestationem gloriæ indicare ex *beneficiorum fruitione* deducendam.

§. 56. Sententiis, quantum fieri potuit, fere interpretum singulis adductis, haud temeritatis aliquem nos accusaturum esse arbitramur, quod harum nullam nobis vindicemus, sed legum hermeneuticarum auctoritate freti eam tribuamus verbis sententiam, qua Christus dixit: *Se prius Iudæorum in conspectum non esse proditurum, quam ad diem vsque paschatos.* Seu stilo recitatio: *Antea conspiciendum me vobis non præbebo,*
quam

quam sub initium Paschatis (per reliquum enim diei, huius tempus vespertinum, craftino & qui hunc sequitur, die in publico non versabor) tunc demum rediens, cum hymnum circa paschatis conuersionem more vestro consueto cecineritis.

§. 57. Cum vaticinium circa possibilia certo implenda versetur (§. 29.) dictum nostrum eandem habeat notas characteristicas (§. 56.) sequitur, ei, cui competit definitio, etiam competere definitum. E. dictum nostrum est vaticinium.

§. 58. Cum sermo primum per voces atque phrasas determinetur (p. princ. Herm.) deinde dictum nostrum ex mente nonnullorum variis laboret ambiguitatibus ex vocibus & phrasibus deducendis, res ipsa, vt vocum singularum in antecessum quasi suscipiamus expositionem, postulare videtur.

§. 59. Vocis ἰδὴτε retinemus eam, quæ prima & propria est, significationem, quæ notionem cognitionis per oculos nostros ex externis acquirendæ suppeditat. Non enim in metaphoricos & longe accersitos excurrendum erit significatus.

§. 60. Neque leuis momenti esse videtur particula ἀπὸ, quæ (obseruante SVIDA) tempus præteritum coniunctum cum futuro, seu quod fuit & subsequitur, denotat. conf. OLEARIJ *Obs. in Matth. p. 268.* Ἀπὸ figit terminum a quo. Hinc ἀπ' ἀγῆτι (quod sine Ellipsi Græcis vsitata esset ἀπὸ χρόνῳ ἀγῆτι γενομένῳ) figit terminum a momento in successione rerum in præsens existenti incipientem. Respondet ei ebraicum מעתה. In dicto nostro oratio sic esset completa: *A temporis hoc ipso momento, quo ad*
vos

vos haec loquutus sum & loquor cet. Non itaque sibi aliquid inuenisse videntur, qui, nescio quo iure, terminum a quo vel post resurrectionem Christi vel post Pascha finitum contra particulæ huius vsum constituere allaborauerunt.

§. 61. Εως αν ειπητε. Significatio vocis εως propria est, quæ terminum denotat ad quem, donec, usque dum. Exponunt ita GROTIUS & PFAFFIUS ad h. l. Quæritur, quis sit terminus ad quem? Respondetur: initium Paschatis (§. 55.). Ειπητε nobis notionem, qua cogitationes per vocabula significantur, suppeditat.

§. 62. Ευλογημενος ο ερχομενος cet. Ευλογημενος in genere eum, cui bona alter precatur, significat, in specie 1) fortunatum, 2) ob fortunam laudatum, 3) laude quauis dignum indicat. Occurrunt voces in dicto nostro eum hac connexæ etiam Pf. CXVIII, 6. vbi Dauid, vt Messias digne excipiat, se atque Israelis genti addictos exstimulat. Ο ερχομενος significat nobis eum, qui absens adhuc fuit, iam oculis vero nostris præsentem se exhibet. Εν ονοματι, Nomen est terminus, quo A a B distinguitur, ponitur sæpe pro re ipsa, conf. GLASSII Philol. S. p. m. 1099. sed particulæ εν iunctum idem est ac vel auctoritate alicuius vel iussu, h. l. Dei patris, a quo Christus in mundum processit. κυριος est, qui in alios imperium exercet, respondet voci יהוה conf. Pf. CXII, 26. versionis LXX.

§. 63. Cum adfirmanti pro allatis rationum adferenda sint propugnacula, superest, vt, quæ pro sententia nostra corroboranda faciunt, argumenta suo ordine exhibeamus.

§. 64. Dictum nostrum continet vaticinium (§. 56).

D

E. ha-

E. habere debet *impletionem* (§. 30.). *Impletio* vel est in *præterito** vel in *futuro* tempore. Sed dicti nostri est in *præterito*.** E. non in *futuro*.

* Cum tempus successiuorum sit ordo (per princ. *Metaph.*) præfens, dum cogitamus, statim transit & quasi auolat, hinc accuratius loquendo non datur, id quod ex temporis ipsa definitione deduci facili poterit negotio. Hinc *impletionem* h. l. esse in *præsenti*, vt remoueat, ne quidem opus est.

** Circa ratiocinii huius *minorem propositionem* eiusque probationem additis determinationibus in specie allatis (§. 56.) omne reliquum nostrum versabitur negotium.

§. 65. Primo loco ponimus, quod cum *explicatione nostra conueniat euenus in Paschate*, quod proxime instabat, *vere declaratus*.

§. 66. Quæ vt clarius pateant, aduocanda in subsidium erunt *Antiquitates Iudaicæ* (§. 11.). Cultus enim *diuini* externi Iudæorum partem *Hymni* constituiebant (§. 32. 35.) in paschate recitandi, quos dicebant HALLEL.

§. 67. *Hallel* erat hymnus celebratorius ad cultum externum Iudæorum recitandus (§. 36.). Docent de eo in suis scriptis Iudæorum magistri varia, quæ in breuitatem redacta sequentibus absoluentur capitibus. *Hallel* erat duplex, aliud *maius*, aliud *minus* seu *commune* dicebant. Posterius in memoriam liberationis Aegyptiacæ a Deo maioribus præstitæ canebant, ideoque dicebatur *Aegyptium*. Canebant illud, quibus sacrorum administratio demandata erat, festis singulis fere solemnibus, sc. paschatis, pentecostes, tabernaculorum & dedicationis, cui aliquoties repetito respondebat concio *Halleluiab.* conf. qui

qui egregie hanc prouinciam exornauit, 10. LIGHT-FOOTVS in *Oper. tom. I. p. 734.* & 10. LEVSDEN. in *Philologo Ebræo-mixto p. 282.* Continetur id $\tau\theta$ Hallel genus Psalmo CXV ad CXLIX vsque inclusiue. Apti enim hi omnes Psalmi erant admodum egregie fini, quia per laudes Dei fere omnium fit vel exordium vel conclusio. Quorum duo priores ante, posteriores omnes post comestionem recitare in mores iuisse, exponunt Rabbinorum documenta. Memorabat insuper $\tau\theta$ Hallel (verba sunt "*Talmud. Hierosolym. in tractatu ~~מנוח~~*") euentum ex Aegy. "pto, diuisionem maris, legislationem, resurrectionem & "SORTEM MESSIAE." Canebatur Hallel & cum iactarent & cum comederent pascha vel a singulis simul vel a nonnullis ex conuiuuarum coetu. conf. GOODWINI *Mos. & Aar. edit. Horring. p. 497.* Obseruatu præterea non indignum est, eos aliquando Hallel magnum (quod plerique a Pf. CXXXVI. incipere volunt) addidisse. vid. laudatus 10. LIGHTFOOT. *ibid.* Hymni istius recitationem nec a Christo intermissam esse circa idem tempus, docet Matthæus c. XXVI, 30. Marc. XIV, 26. Cæterum de numero recitationis $\tau\theta$ Hallel in isto, tot scriptoribus diuersimode sentientibus, certi nihil atque indubii constitui posse vtiq; est fatendum; sufficit probasse, quod recitatum sæpe sæpius sit in festo Paschatis consentientibus scriptoribus antiquitatum, adstipulante Iudæorum testimonio.

§. 68. Recitatione $\tau\theta$ Hallel euicta generaliori, quodsi *minoris* (Aegyptiaci) partem Pf. CXLIX, 24. euoluimus, verba legimus eadem, quæ in Matthæi loco; ea scil.

Benedictus sit veniens etc. Vnde collato præsertim testimonio *Talmud, Hierosolym. de sorte Messie canenda* consequitur, verba $\tau\epsilon$ Hallel cum dicto nostro esse eadem certo respectu. Ad prius Christum in hoc dicentem respicere, proinde vaticinii impletionem in eo quærendam esse, ostendere volumus (§. 55.).

§. 69. Quod pro euentu rei pro sententia nostra pugnante facit, alterum momentum in eo positum est, quod *Christus eo tempore* (quo canebant Hallel) *Hierosolymam redierit*, & Iudæorum publico conspectui se exposuerit, eum in finem, vt pascha ibidem celebraret.

§. 70. Incidimus, eheu, in quæstionem, ad quam varias ac dissentientes proposuerunt adhuc docti responsiones: *quando scilicet Christus agnum paschalem extrema hac vice comederit?* de qua antea in probanda sententia quam pedem promouere queamus, vtique erit conueniendum. Eodem, quo Iudæi, die Christum agnum paschalem comedisse alii affirmant, alii negant, & hi vel Christum anticipas- se, vel Iudæos distulisse sentiunt. Qui posteriori, hoc est negatiuæ subscribunt sententiæ, prouocant inter alia 1) ad ipsam script. S. Ioh. XII, 28. *Iudæi non intrarunt Prætorium, ne polluerentur, sed vt comederent Pascha.* Sic argumentantur: Si Iudæi die, quo Christus ad supplicium vocatus est, comederunt Pascha, sequitur, non die eodem cum Christo comedisse: Atqui verum est prius, (per testim. citat.) E. posterius. Resp. Concedimus totum argumentum; comederunt cibum paschalem, sed paschalem iuuen- cum Deut. XVI, 2. 2 Chron. XXXV, 7. 8. 9. quem diebus pri- mum insequentibus, ii, qui Hierosolymis vel habitatio- nis

nis vel peregrinationis causa debebant, comederunt. 2) Deinde argumentantur: Si Iudaei cum Christo pascha comederint, Pontifices & Pharisei damnationi Christi contra legem non vacassent. Resp. Et omnia antea iam delata & pleraque magistratui romano demandata erant. 3) Christum agnum paschalem praecipuisse, ut mores veterum vel potestate legem solvendi vel necessitate, dum immolatio sua appropinquaret, inductus euerteret. Resp. (1) Subiectas esse volebat legi, non eam solvere Gal. IV, 4. Matth. III, 15. (2) Tempus sufficebat ei adhuc, quo ad immolationem se accingeret. 4) Iosepho Arimathiae non licitum fuisse sepulturae Christi prospicere, si festum Iudaeorum iam cepisset initium. Resp. (1) Sydonem tunc eum demum emisisse supponunt, *αγορασ* enim tempus indefinitum significat. (2) Curam mortuorum suscipere licebat eodem festo. 5) Parasceuen fuisse, indicare Lucam c. XIII, 54. Resp. Parasceue erat: non autem ad festum Iudaeorum paschale, sed ad diem sabbathi hebdomariam, ideoque vocatur a Marco cap. XV, 42. *παρασκευαστος* seu dies sabbatum antecedens. conf. LIGHTFOOT. *Hor. Ebr. Talm. ad Marc. XV. & RVSS. Harm. Tom. III. p. 1163.*

§. 71. Cum arma, quibus ab illis pugnatur, parum efficere videantur, ea, quae pro nobis, Christum & Iudaeos eodem die pascha comeditis afferentibus, valent, subiungemus. Sunt 1) ipsa scriptura S. Matth. XXVI, 17: *primo azymorum die accedebant discipuli cet. Marc. XIV, 12. die, quo maclari solebat pascha.* it. Luc. XXII, 7. sc. hoc die, inferunt loca ista, pascha parare servatur

iussit discipulos cet. 2) Si Christus alio die comedisset, a lege aberrasset carimoniali, quod si esset, quis crederet, Iudæos aut eorum magistros tam sancte circa externa hærentes id non ei vitio vertisse? Sed silent historiæ sacræ. 3) Pascha non debebat mactari nisi in loco a Deo destinato, Deut. XVI, 56. quod si igitur Christus anticipasset, suspicari fuissent facile sacerdotes aliquid legi contrarium. 4) Dissidium fere non euitandum inter eos, qui superiorem tuentur sententiam, cum iam de causâ dici vel a Christo vel a Iudæis mutata, iam de mutatione vel legitime vel illegitime facta dubitent.

Facit nobiscum IO. LIGHTFOOTVS pro hac posteriori sententia in *Spicileg. ad Exodum Sect. XIX. RVSS. Harm. T. III. p. 495.* RELANDVS in *Antiqu. p. 424.* Qui contraria castra tenent, sunt LEVSDEN. in *Philol. Ebr. p. 278.* CALOVIUS & DORSCHAEVS. Caterum quaestionem hanc maxime intricatam vocat ITTIGIVS in *selectis histor. Eccles. p. 404.* Sufficiet nobis ex his omnibus deduxisse, die demum hoc Iouis Christum Hierosolymam venisse, vt, quomodo vaticinatus erat, conspiceretur.

§. 72. Argumentum denuo, quod cum rei ipsius euentu conuenit, est in eo: quod Iudæis non plane nouum atque inexpectatum fuisset audire hæc nude & sine respectu sumta, quum per omnes adhuc dies in templo seruator esset versatus. Erat autem inauditum atque inexpectatum eo, quo diximus, respectu (§. 68.).

§. 73. Dicitum nostrum & verba Luc. XIII, 35. sunt parallela (§. 42. 12.). Deprehendimus parallelismum & realem & verbalem,* ratione in præsentem tantum posterioris habita. Cum in reali occurrant vel similia vel omni
respe-

respectu eadem (p. princ. Hermen.)** eaque probe sint discernenda ab interprete, neque id negotium omitemus.

* Quibuscunque in dictis convenientia rerum atque vocum existit, ibi parallelismus vocari posse crederem *compositum*.

** De quo conf. P. R. ZVR LINDEN Hermen. S. p. 422.

§. 74. *Similia* sunt, in quibus ea, per quæ intrinsece dignoscenda essent, sunt eadem, seu: quæ eodem habent characteres (per princ. Ontol.). Dicta parallela habebunt similia, si argumentum, quod in vno, est in altero. Quod quia deprehendimus in parallelis nostris, iure ea de *similibus agere* nostra erit conclusio.

§. 75. Dicti utriusque momenta discrepantia evoluta iam dedimus (§. 43.). Verba Luca spectant introitum Christi die palmarum comitante & canente populo instituendum. Hinc cum similitum similis sit ratio, verba Matthæi de eiusmodi etiam impletione statim consecutura esse intelligenda.

Ad argumentum devenimus tertium.

§. 76. Verba nostra in *explicatione retinent significatam, cui primario destinata sunt* (§. 58. 59). E. est proprius (§. 18.). A quo quidem cum nihil recedere nos iubeat, eum relinquendo inepte ageremus (§. 21. 22.) cum nulla premamur necessitate.

§. 77. Fingerent sibi forte necessitatem, qui verba tropice seu mystice explicare elaborant: sed eis oppono, quæ deprehendimus in B. RAMBACHII *Inst. Hermen. p. 60.*

§. 78. Novum argumentum deducimus *e scopo Christi loquentis*. Verba enim pertinent ad sermonem de fugiendis Phariseis (§. 40.) hinc populi in pravis factis

Etis eum iisdem conspirantis vituperat malitiam, qua animo infixæ & ad summum fere perducta canticum celebratorium recituros esse seruator præuidebat; quare, vt studiosam deponerent prauitatem riteque se præparent, exoptabat.

§. 79. Quæ vero vt ipsis innotescerent, oratione hac eos compellauit. E. hoc erat scopus Christi (§. 27.). Qui erat respiciendus (§. 28.).

§. 80. Neque parum corroborabunt explicacionem nostram, quæ ex ea promanant sensumque admodum reddunt fœcundum Christo Θεανθρωπος multo dignissimæ veritates, quarum nonnullas exhibebimus.

Argumentum hoc a fœcunditate desumptum, a reliquis disungi nolumus. Qui enim ob solam fœcunditatem ad aliquam trahuntur sententiam, contra Interpretum leges impingunt. conf. RAMBACH. *Instit. Hermen.* p. 60.

§. 81. Futura certo implenda qui prædicit, *vaticinatur* (§. 29.) cuius facultatem Deus vel hominibus concessit e. g. prophetis V. T. (p. Exper.) vel ipse, si sapientiæ conueniens fuit, vaticinia per signa edidit e. g. de cœlo. Impletio eorum, quæ dictum nostrum continet, cum die paschatis proxima futura (p. Hypoth.) & hoc ipso die initium esset passionum Christi, idemque tempus curate satis determinet, quis est, qui cum eo ipso dicto insidias atque cœpta hostium cum temeritate coniuncta non ignorauisse & prædixisse non perspicit?

§. 82. Sequitur ex hoc ipso, eum non tanquam verum prophetam solum, sed tanquam Deum etiam veracem ex hoc ipso momento esse conspicuum.

§. 83.

§. 83. Verba *et* Hallel ex Pl. CXIIX, 24. *Benedictus* cet. quæ Messiam pro fine habebant (§. 68.) recitauerant per tot sæcula & ante & post Christum natum ii, ad quos seruator sermonem dirigebat, ignari tamen genuini significatus, adeoque sæpissime sonum dederant sine mente. Cum iam idem recitandum esset Christo Hierosolymis commorante (p. Hyp.) seruatorem adfirmare videmur, eos inscios atque inuitos iam ipsum honore adfecturos atque laudibus exceptum ad passionum exordium applausu publico esse congratulatuos.

§. 84. Videmus, eum, quem pro Messia vero atque Dei filio genuino agnoscere adhuc noluerunt, solemniter pro *Benedicto Domini* consensu atque animo vno ab iisdem esse declaratum (§. 83.).

§. 85. Qui aliis congratulantibus rem adgreditur, feruore & alacritate eo maiore in negotio gaudet. Hinc Christus eundem animum hisce meditationibus excitatus induit.

§. 86. Accedit, cui forte aliquid roboris inesse poterit, quod Christus in concione ludæorum publica prouinciæ doctoris adhuc inter mortales administratæ *coronidem imponere* studeat (§. 41.). Orationem enim cum haberet in templo, se vltima vice locum sanctum & veneratione dignum exornare fatetur, quem vna cum omni gente Iudaica prorsus omnino in posterum sit derelicturus.

Conf. b. LVTHER. *postill. eccl. in II. nat. Christi.* Hinc numeris sui facta est conclusio doxologica, cuius initium sic fuerat conf. Matth. III, 17.

E

§. 87.

§. 87. Quorsum vero hæc omnia? eum in finem, vt impia & periculis obnoxia ludæorum turba adhortatione extrema eaque ex sincerrimo Christi amore perfecta ad conuictionem & confessionem adducta ad meliores rediret fruges.

§. 88. Quam quantum argumentum textus permittit, explicatio seligenda sit reliquis facilior (p. princ. Hermen.) nostra sententia autem talem admittat (§. 76.) eandem, si pro magis commoda & supra adductis faciliori profitemur, non peccabimus.

Vt reliquas mittamus, quarum ex collatione cum hac res forte ipsa patebit, exempli loco reducimus eam de ludæorum conuersione ex hoc dicto probanda, qua admissa, difficultates multe multis superesse videntur, quæ, nisi tractationis vela contrahenda festinationem suaderent, a nobis essent recensendæ. Et his ipsis inducti nonnulli b. LUTHERVM sententiam aliam sumssisse ex Tom. VII. *ten. f. 38.* euincunt, vel locum ex *Postill. Eccl.* citatum suppositum esse censuerunt, vid. W. E. TENZELIVS in *monatlichen Vnterredungen 1705. p. II.* conf. qui id genus conuersioni expectandæ contraria iudicauerunt, BOLDICHEN in libro: *Schvechte Hoffnung besserer Zeiten* & C. G. KOCH in *desperata chiliasini causa part. II.* Cæterum ex aliis S. codicis oraculis e. g. Hof. III, 5. Rom. XI, 25. 26. pro asserenda hac conuersione argumenta forte adduci posse non diffitemur. conf. I. H. MAII *Theol. Euang. p. I.*

§. 89. Seruator optimus ad passiones se præparaturus ludæos ad vsum passionibus dignum atque salutarem excitat.

Deducimus quædam nunc confedariorum loco ex superioribus. In mortis iam limine constitutus omittere hæc potuis-

tuisset pro iusticia, noluit tamen pro benignitate &, quæ summa erat, *Φιλανθρωπία*.

§. 90. Delectationem se ex illorum pernicie atque derelictione haurire, quod ex omnibus suis actionibus perspiciendum fuerat, quod & toties totiesque testatus adhuc erat, iterum Christus negat atque pernegat (§. 87.).

Contrario enim modo Iudæorum concio adhuc opinata erat atque sibi Christum nil nisi mala ominari atque portendere sine publice, tamen occulte professa erat. Hinc eadem, quæ veteris instrumenti prophetis acciderunt, a Christo nec fuisse aliena pater.

§. 91. Inuitatio de meditatione salutis ipsorum causa instituenda erat *indirecta*.

§. 92. Testatur Christus amoris affectum, præcipue eum, qui est in doctore iis, quos erudiuit, valedicente (§. 86.) coll. Act. XX, 38.

§. 93. Qui gratiam Christi oblatam parui existimant, eiusdem defectum pœnarum loco habent (§. 86.).

§. 94. Cultus, quem Deo exhibere necesse erat, sine ratione & sine meditatione Iudæorum pleraque pars instituerat (§. 84.).

§. 95. Quicquid a Iudæorum maioribus ex prægnantibus admodum rationibus in Dei honorem sui que usum institutum erat, ex opere operato posterius tantum peragebant, immo in abusum atque consuetudinem convertebant (§. 83.).

§. 96. Ab hominibus extra arctiorem cum Deo communionem collocatis eiusdem non raro adaugetur & mirum in modum declaratur gloria (§. 84.).

§. 97. Ex rituum antiquorum numero Christus eos, qui maxime ad Dei gloriam amplificandam faciebant, non vetuit sed commendavit (§. 67. 70.) coll. Matth. XXVI, 30.

§. 98. Eorum, quæ in antiqui fœderis libris docentur, multa Christus adduxit, & eorum cum sua doctrina convenientiam inde eiecit (§. 12. 68.).

§. 99. Quo magis discessus Christi e mundo appropinquabat, eo intensiorem operam atque vigilantiam in eo posuit, vt, quemadmodum Iudæorum, sic totius humani generis salutem prouideret (§. 39.).

§. 100. Tela opitulante Deo pertexta aliquid novitatis studiose quæ sita nec expectamus neque extimescimus iudicium. Deo potius O. M. rerum humanarum moderatori, pro viribus concessis supplicem & venerandum animo gratias debemus atque agimus, quas possumus, maximas, &, quæ persequi exorsifueramus,

F I N I M V S.



RESPON-

RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Qui magnam semper ex ingenio & industria T V A satis mihi probata, voluptatem cepi, nouo hoc eiusdem specimine mirifice delector, T I B I que felices has primitias vere gratulor. Argumentum, in quo explicando illustrandoque gnauiter elaborasti, certe non indignum est studiosa discussione, & ad problemata exegetica pertinet, quorum qualiscunque etiam tractatio iis profecto displicere non potest, qui suum oraculis

E 3

di-

diuinis pretium statuunt, quantique
eorundem interpretandorum referat,
plures sententias & coniecturas inter
se contendendi, non ignorant. Ab emen-
danda dissertatione *IVA*, meisque
obseruationibus amplificanda & mea
me voluntas reuocauit, quod præcla-
rum hunc diligentiae fructum pro-
prium *TIBI* omnino relinquendum
esse putauit, & laborum multitudo,
quibus iam distrabor sin magnis ad-
modum, multis tamen & concate-
natis. Publicum eiusdem defen-
dendæ certamen non magis precor
quam auguror felix & fortunatum,
at-

atque, ut illum laborem iam subis &
litterariæ huius contentionis certis-
sima utilitate inductus, & clemen-
tissimi PATRIAE PATRIS sa-
pientissimo mandato obtemperaturus,
sic lætissimos TIBI eiusdem fructus
& æquos peritosque ingeniorum arbi-
tros opto & polliceor. DEVM O.
M. supremum rerum humanarum
moderatorem, deprecor, ut sua in TE
collata beneficia perpetuet & magis in
dies magisque adaugeat, atque do-
ctrinam TVAM omnemque operam
TIBI ac sacræ ciuitati salutarem fie-
ri iubeat. Ded. prid. Cal. Febr.
an. MDCCXXXVI.



00 A 6398

ULB Halle 3
002 916 606



Sb.







24

DISSERTATIO
DE
**CHRISTO A IVDAEIS
CONSPICIENDO**

QUANDO DIXERINT
CELBRETUR VENIENS IN NOMINE DOMINI
AD MATTH. XXIII. COM. XXXIX.

QVAM
PRAESIDE
SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. THEOL. PROFESS. PVBL. ORD. ET FACVLT. SVAE
H. T. DECANO
FAVTORE ATQVE PRAECEPTORE SVO
VENERANDO
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
AD D. IV. FEBR. MDCCXXXVI

H. L. Q. C.
ERVEDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT
AVCTOR RESPONSVRVS
IOANNES CHRISTIANVS GRVNDLER

HALA MAGDEB.
S. LITTERARVM CVLTOR.

EDITIO NOVISSIMA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI
MDCCLIV.

(5)

